DISSERTATIO
INAUGURALIS
DE
LUSIBUS NATURAE
PRAECIPUIS, IN DISPONENDIS MUSCULIS FACIEI,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI,
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Carolus de Benedek,
Hungarus Sopronensis.

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Universitatis
die Maji 1835.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Introductio.

Quicumque rebus anatomicis vulgari majorem operam dicaverat, compertum habebit, in nulla corporis humani provincia, naturam lusus et varietates adeo amare, quam in systemate musculari, miro motuum organicorum et animalium instrumento. — Major ejusdem est, in systematis nervosi partibus adornandis et disponendis constantia,—minor in musculis, — et minima revera in illis organis, quae voluntatis liberae imperio subducta, gangliorum automatico nutui obediunt.

Ista naturae ludibria, majoris momenti habeo, quam anatomi-

corum plurimi, hucusque fecerunt. — Natura enim, optima sui interpres, exiguis plerumque machinis, grandia molitur opera, — ita ut istas, (de quibus sermonem habebimus) abnormitates, non pro erroribus declarare vellem, uti passim vocantur; sed pro manifestis naturae, alia directione et modo operantis indiciis, quae scientiae physiologicae, venturo forsan aevo, momentum gravius addere poterunt, dummodo illis eruendis, anatomicorum industria magis invigilaverit. Nulla enim corporis humani pars, etiamsi minima, aut praeter normam facta, tam vilis et abjecta est, quin magni aliquid in recessu habeat, et admirationem non minus, quam indaginem nostram mereatur.

„*Jovis enim plena sunt omnia!*"

Nota mihi sunt, *Brownii*, *Cowperi*, *Douglasii*, *Albini*, aliorumque, in colligendis musculorum abnormitatibus merita, nihilominus tamen rem mihi exhausisse non videntur, ita ut non locus aut occasio supersit juveni cuidam anatomico, suam quoque in hisce laboribus fortunam tentandi, suamque symbolam collectis hucusque hac de re thesauris adjiciendi; — ut experientiae multiplicis cumulus indies augeatur, et physiologorum ingeniosa mens habeat, unde scientiae solidioris fundamenta sibi struat.

Quare, ne animosus nimis videar, pro virium mearum tenuitate, historiam musculorum faciei figura, ortu, decursu, insertione,

aut numero, a norma abludentium, elaborandam suscepi, tamquam serius venturi operis, majoris extensionis et dignitatis prodromum.

In Theatro anatomico Vindobonensi, sub auspiciis *Clarissimi et Celeberrimi Domini Professoris Berres,* cui suum redivivum in altae moeniis Vindobonae florem, anatome nostra debet, musculorum et reliquorum corporis humani systematum anatome, ab artis Paeoniae tironibus tanto fervore colitur, ut duo cadaverum millia, quotannis studio anatomico impendantur, et larga varietatum, passim in corpore occurrentium collectanea singulis annis consignentur, quorum maximam partem, musculorum abnormis fabrica constituit.

Haec quoque ego in usum vocavi. —

Sunt quidem plures aliae corporis humani provinciae, ubi major abnormitatum frequentia esse solet, quam in musculis faciei. — Sed ea, quae circa musculorum historiam in trunco vel in extremis conspecta sunt a norma abludentia, ad trita jam vel notiora spectant, musculorum faciei autem abnormem conformationem hactenus nemo anatomicorum, felici augurio aggressus est.

Neque proprias tantum observationes, tenues utpote, in scenam adduxi, sed ea etiam, quae ex variis anatomicorum operibus sedulo colligere, occasio erat. — Ex quovis enim flore, mellis quidquam apum industria sugit; — veterum autem anatomiae

cultorum volumina, tantam florum — a cedro ad hysopum — copiam continent, ut largam et omni deliciarum genere onustam messem habere, volenti facile contingat!— Interim, ut legentium exspectationi, et meis officiis satisfaciat praesens libellus ardenter spero! —

Auctor.

Musculi faciei.

§. 1.

Faciem corporis mentisque sanitas perlucet. Natura hominis, tacitusque animae sermo, lineamenta ejus disponunt, — peculiarem ipsi characterem imprimunt, — et singulum quemque, ex hominum myriade, discriminant ab alio, ita ut homo quam maxime, similis dissimilisque sui videatur. — Virtutes et vitia, pathemata ferocia et deprimentia, intima cordis mentisque penetralia, per faciem patefiunt, quae mira varietate, hominem a brutis bestiis discernit.

„Pronaque quum spectent animalia cetera terram,
„Os homini sublime dedit, coelumque tueri
„Jussit, et erectos ad sydera tollere vultus.“

Cornua taurum, juba caballum, ungues leonem ornant, nos praeter manus nostrae divinum donum, et faciei gravem majestatem, nec ornamenta, nec arma habemus.

Ideo utraque haec pars, reliquis

hinc inde latum fascem ad pyramidalem narium musculum mittit, quem, ni fallor, *Douglasius* musculum Rhinaeum speciatim vocat k).

Var. IV. Partis frontalis tendo, non raro, occipitalis tendini sese non insinuat, ita ut ambo quasi commissi videantur, sed implicantur potius sine ordine. Similis varietas a *Santorinio* l) pro normali statu declaratur, ego tamen hucusque nonnisi bis in hominibus, coma nigra, setosaque instructis, conspexi.

Var. V. In hominibus facie vultuosa instructis, saepe obtutui venit, singularis hujus musculi anomalia. Superior enim orbicularis musculi pars, perforatur ab internis musculi frontalis fasciculis, ita ut orbicularis pars, frontali incumbat, pars vero subjaceat. Nullibi perfectius similem structuram mirari poteris, quam in Tab. I. Santoriniana m) lit. c, d.

Var. VI. Latitudo hujus musculi, quae in capite bene formato, supercilii superioris longitudinem tenet, adeo contra-

hitur hinc inde, ut ne mediam quidem hujus excedat.

Var. VII. Arteria frontalis, et nervus comes, quae vix non semper musculum scandunt, non raro ipsi quasi implicantur, vel ab illo omnino teguntur n).

a) Historia musculorum hom. Lugd. Bat. 1734. 4. §. 21.

Verus, princeps et perpetuus myologiae thesaurus, in quo primus saeculi sui anatomicus, singulos musculos abunde describit, et ludentis naturae varietates adnotat.

b) Descriptio comparata musculorum corp. hum. Lugd. Batav. 1738. 8. pag. 35.

c) Observationes anat. Venet. 1561. 8.

d) *Jos. Lieutaud*, Zergliederungskunst. A. d. Fr. Leipzig. 1782. 2. B. p. 253.

e) Anthropographia ex propriis et novis observationibus concinnata. Paris 1618. 8.

f) Observat. anat. Venet. 1724. 4.

Circa nomenclaturam musculorum capitis, respici merentur:

Chaussier, exposition sommaire des muscles du corps humain, suivant la classification et la nomenclature méthodique, adoptées au cours public d'Anatomie de Dijon. A Dijon et à Paris. 1789. 8.

Chaussier Tableau synoptique des muscles de l'homme. à Paris. an V. (1794). 4.

V. L. Brera, lettera contenente un saggio ragionato sulla nuova nomenclatura dei musculi del corpo umano. 2. ediz. Padova. 1797. 8.

Ch. C. Dumas. Système méthodique de nomencla-

ture et de classification des muscles du corps humain. Montpellier. 1797. 4.

Ch. H. Th. Schreger. Versuch einer neuen Nomenclatur der Muskeln des menschlichen Körpers. Leipzig. 1794. 4.

g) De musculorum dissectione liber, *Augustino Gadaldino* interprete, cura *J. Caji.* Basil. 1544.

h) *C. A. Mayer.* Beschreibung des ganzen menschl. Körpers. Berlin 1784. 8. III. Bd. pag. 159.

Sandifort, descriptio musculor. hominis. Lugd. Bat. 1781. 4. pag. 63.

Chr. Gottl. Ludwig. Programma de membrana epicrania et musculis in eam insertis. Lips. 1760. 4.

i) *Andreas Vesalius.* De corporis hum. fabr. libr. VII.

Johannes Veslingius. Syntagma anat. Patav. 1677. 4.

k) *Casserio* etiam notus Placentino, *Portal.* Hist. de l'anatomie. Paris 1773. 8. Tom. VI. pars. I. pag. 134.

l) Lib. cit. pag. 7.

m) Ille idem *Santorinus*, in trabeculis carneis minutissimis adeo accuratus prosector, hunc quoque musculorum habitum normalem esse censet, et acriter offendit *Eustachium, Bucretium, Cowperum* etc., quod hanc structuram incurii et minus accurati praeterviderint. Ib. cit. cap. 2.

n) *Dav. Corn. de Courcelles.* Icones musculorum capitis, utpote faciei, aurium, oculorum etc. Lugd. Batav. 1743. 4.

I. D. Santorini. Tabulae septemdecim editae a Mich. Gerardi. Parmae. 1775. Tab. I.

§. 2.

Altera et posterior hujus musculi pars, sic dictus occipitalis, magis sibi constans deprehenditur. Pauca tantum de ejus varietatibus, apud autores leguntur, quae sequentia erunt:

Var. 1. Deficiunt omnino nonnunquam, (non ex anatomici errore, sed propter lusum naturae) uti *Hallerus* a) observavit. — Valde tenues ipse vidi, — sed neque normalis eorum crassities magna est. —

Var. 2. Bifariam divisos vidi, et *Santorinus*, novum quemdam et insolitum in vicinia musculum invenit, calami crassitie, supra mastoidem processum, tres digitos transversos longum, ita ut ambo intra posteriores auriculae musculos ortum habeant et versus medium capitis convergant. Miror *Sömeringium* hos musculos tacere, quos ego saepe jam et invito quasi animo inveni.

Corrugatorem posticum vocat *Santorinus* et ego, ob facilem occipitis crinosi, ejus actione crispationem.

Var. 3. Retrahentes auris, imprimis superiores, ex occipitali, saepius oriri vidimus, aliique b).

a) Elem. physiol. T. V. pag. 34.

Archangelus Picolhomini et *Casparus Bauhinus* de illis tacent etiam, tamquam de non existentibus. — Legi merentur:

Hoffmann. Diss. de aliquibus musculorum differentiis. Altdorf 1772.

H. I. Sels. Diss. musculorum varietates sistens. Berol. 1815. 8.

Sömering. Vom Baue des menschl. Körpers. 3. Theil. Frkf. am M. 1800. pag. 83.

b) *Josias Weitbrecht.* Observationes anatomicae ad historiam et actionem musculorum frontalium, occipitalium, palpebrarum, faciei pertinentes. In Comment. Acad. Petropolit. Vol. VII. pag. 331. Uebersetzt v. *Mümler.* 2. Bd. Riga 1783. p. 524.

§. 3.

Occipitalem musculum *Gabriel Faloppia*, (non Fallopius) Mutinensis, primus invenisse sibi videbatur; sed ne primo et vero ejus inventori, honos desit, meminisse juvabit, *Realdum Columbum*, Cremonensem pharmacopolam, dein Romae anatomes professorem, tres annos ante *Faloppiam*, in opere suo, de re anatomica, Venet. 1559. 8. luculentissi-

mum de illis sermonem habere, ita ut acres et justi censores non dubitent amplius, cujusnam inventum sit iste musculus. Dicit enim: „*musculi duo adhuc in lucem revocandi, ab aliis negligentia praeteriti, quos in capitis posteriori parte licet animadvertere, qua lambdoideae suturae supra mamillares processus oriuntur.*“

§. 4.

Musculi frontalis actione et insertione, in fronte sic dictae l i n e a e f a t a l e s, oriuntur, duplices quidem, longae et latae. Illae septem numerantur, pro totidem planetis, quamquam non semper adsint omnes, nec sibi similes. — Differunt hae lineae essentialiter a rugis, secundum *Elsholz* a) quia in cadavere cutis humana in plicas facessit, non lineas, — vetulae plures rugas ostentant, quam lineas, — ridentes rugas utrinque in genis relinquant, non lineam, — vestigia linearum etiam appareant in embryonibus. — Adduximus haec, quia in metoposcopia, et physiognomia, saepius de illis lineis sermo fit.

a) Anthropometria, cui accedit doctrina naevorum. Patavii 1654. 4.
b) *Thom. Bartholinus*, Anatome reform. Lugd. 1684. 8. pag. 504.
c) *Hieronymus Cardanus*, Metoscopiae LXIII. Paris 1658. Fol.

§. 5.

Galea aponeurotica cranii, inter occipitalem et frontalem musculum expansa, amborum communem tendinem exhibet. *A Vesalio* primitus a pericranio luculenter distincta, a *Faloppia* zygomati adhaerere visa est. *Arantius* musculi crotaphitici velamentum ab eadem derivari vidit.

§. 6.

Musculus procerus Santorinii,

huc quoque spectat, in omni homine reperiundus, quam primum locus ejus satis innotuerit. — Oritur ex musculi frontalis fasciculo ad dorsum nasus exporrecto, oblique eidem superincumbens, in dorso nasus utrimque quidquam approximatus, semilunae ad instar curvatur ad *myrtiformem narium musculum*, cum cujus

supremis fibris inosculatur. — Homines, quibus, si narium pinnas levare student, cutis, dorsum nasus obducens, corrugatur, illo musculo omnino gaudent. In illis, qui nicotianae pulvere utuntur, eleganter evolutus, assiduo exercitio, deprehenditur. Vide *Santorini* tab. I. lit. b. b.

§. 7.

Corrugator superciliorum a).

Musculus frontalis verus *Douglasii* b), Le sourcilier *Winslovii* c), Petit sourcilier *Lieutaudii* d), Depressor superciliorum *Heisteri* e).

Plurimis anatomicorum praetervisus iste musculus, indignationem, truculentiam, animique ferociam exprimit. Arcum obtinet, crassiore cute prominulum, pilisque pressulis hirsutum, non tam formae lenocinio umbraeque offundendae gratia, quam ut defluentes per frontem sudores ab oculis summoveret.

Varietates non amat iste musculus, et si quae occurrunt, ad magnitudinem ejus, et numerum fasciculorum spectant.

A medio glabellae oriundus, modo tribus, modo binis, modo unico tantum initio, non raro superiorem quoque ossium nasi coalitum occupat. Intimum cum orbiculari et frontali connubium init, et auxiliares multas trahit fibras, a tubere ipso et arcu superciliari osseo oriundas, quas, tamquam musculum sui generis et per se existentem laudatus *Santorinus* consideravit, iisque *Corrugatoris novi* nomen imposuit.

Volcherus Coyter f) (falso Coiter) Groningensis, primus ejus inventor sine dubio est. — Canibus omnino deest.

Singularem ego in hominibus duobus, quorum supercilia coalita erant (synophryes graecis vocantur), conformationem observavi, eam nempe, quod uterque musculus in unum ventrem transverse situm conjunctus erat. Simile quid apud autores nullibi invenire potui.

a) *B. S. Albinus.* Op. cit. Tab. XI. Fig. 1. *Sömering.* Icones oculi hum. Tab. VII. Fig. 4.
b) Lib. cit. pag. 34. §. 17.
c) *Lieutand.* op. cit. Tom. II. pag. 251.
d) Ibidem.

e) *Laur. Heister.* Compendium anat. Norimbergae 1761. 4. pag. 174.
f) Externarum et internarum principalium corp. hum. partium tabulae, atque anatomicae exercitationes, observationesque variae. Norimb. 1573. 4.

§. 8.

Musculus orbicularis palpebrarum a).

Synonyma: Orbicularis latus *Riolani* b), Claudens palpebras *Spigelii* c), Orbicularis oculi *Santorini* d), Clausor palpebrarum *Veslingii* e), Sphincter palpebrarum vulgo. Latus et fere circularis musculus, majoris extensionis quam necessum videbatur, quippe qui superiorem et inferiorem palpebram ambiendo, tamen priorem solum luculenter movet f).

Santorinus exactissimam hujus musculi historiam habet, quem bifariam dividit, nempe in Orbicularem orbitae oculi et orbicularem palpebrarum. Originem habet ex ligamento interpalpebrali interno, valido certe tendine, *Galeno* utpote noto, quem tamen in infantibus praeparare frustra laborabis g). Singuli fasciculi in interno oculi cantho ap-

proximati invicem, exteriora versus distant paulisper interjecto adipe, quare latior fit musculus ibidem. Ad idem, unde venit, principium rediens, terminatur.

Var. 1. Musculus nonnunquam a processu orbitali interno ossis frontis originem habet, vel a processu nasali ossis supramaxillaris.

Var. 2. Singulari naturae consilio in quovis fere homine, vix centesimo excepto, ab orbiculari, discretus, satisque crassus musculus separatur, ad externam ossis jugalis superficiem, qui vel solus, vel cum musculo incisorio *Santorini* junctus, ad labium superius terminatur h).

Perpetuum lacertulum Santorinus vocat! — Reliqui omnes anatomici praeterviderunt.

Var. 3. Musculus zygomaticus minor, (vel tertius, si adest) ex orbicularis ambitu non raro progerminat i).

Var. 4. In vultuosis hominibus, tres nunc allatas varietates, simul occurrentes, viderunt multi.

Var. 5. Rami musculares ad fronta-

lem musculum ascendentes hinc inde conspecti.

Plures hujus musculi fibras puncta lacrymalia sphincteris ad instar cingunt, et commodam in eorum arctationem vim exserere possunt k).

a) *Eustachius.* Tab. XXII.

Sandifort Descriptio musc. hominis. Lugd. Bat. 1781. 4. pag. 97 — 69.

Cowper, Douglas, Albinus.

b) op. cit.

c) *Adrian. Spigelius.* De hum. corp. fabrica lib. X. Venet. 1627. Fol.

d) Op. cit. tab. I.

e) Syntagma anat. pag. 218.

f) *Santorinus* tamen observavit in infantibus hydrocephalo laborantibus, palpebram inferiorem, dum morbi vehementia et extensio magna esset, ocissime moveri. Obs. anat. pag. 11.

Charles Bell, on the motions of the eye, in illustration of the uses of the muscles and nerves of the orbit. Philos. Transact. 1823, p. 166.

William Porterfield. Essay concerning the motions of our eyes. In med. essays and observ. by a Societ. in Edinburgh. Vol. III. p. 115.

Antoine Portal. Observ. sur les muscles des yeux. Mém. de Paris. 1770. 4.

g) *Faloppia* tendinem hunc penitus negavit, *Portal* plurimis observationibus fultus admittit.

h) *Alb. ab Haller.* Observ. quaedam myologicae. Gotting. 1742. 4.

i) *Haller.* Elem. phys. Tom. V. §. 26.

k) *Jos. Berres.* Anthropotomie. Wien 1835. 8. I. Bd. pag. 498.

§. 9.

Musculus ciliaris Riolani a).

Notum cuilibet est, *musculum orbicularem palpebrarum* bifariam distingui, ita ut una ejus portio orbitam ambiat, altera vero palpebras ipsas tegat b). Ista posterior pars, *musculus Albini* consuetim vocatur, sed perperam! — *Riolanus* enim satis bene novit, saeculo tamen ab *Albino* distans.

Recentiores c) *de strato interno musculi orbicularis* agentes, illum intelligunt *Riolani* musculum.

Winslovius, nimis certe ingeniosus, musculum in quatuor partes, revera non existentes, divisit d), de quibus etiam hodie, inter emunctae naris anatomicos, nihil disceptatur.

Santorinus hunc tamen musculum duplicem fecit, cuique nempe palpebrae unum, ita ut non in orbem circum agatur, sed separatus musculus semilunaris in superiori palpebra existat. In hac di-

visione plures, praeprimis vero *C. Bianchi* e) adstipulantes habet.

Summa hujus musculi dignitas physiologica, quippe qui non motui tantum, sed visui, et lacrymarum secretioni quoque inservit. Ea quoque ejus dispositio est, ut semper introrsum agat, (quare lemae et lacrymae nonnisi in interno oculi cantho congeruntur). Musculus assidue motus, ut per diem raro quiescat, tamen nunquam ruber apparet, nisi in lippis. Sensum organicum exquisitum habet, etiamsi a nervis cerebralibus, suos nervulos deducat.

a) *I. Riolan.* lib. cit. pag. 308.
b) Tab. musc. XI. fig. 2.
Sandifort. l. c. pag. 70.
c) *Fr. Hildebrandt.* Handbuch der Anatomie des Menschen. Vermehrt v. *E. H. Weber.* Braunschweig 1830. 8. Bd. II. pag. 338.
d) *Portal.* in *Lieutaud.* op. cit. Tom. 2. p. 266.
e) Duct. lacrym. p. I. §. 1.

§. 10.

Palpebrae inferioris depressor Heisteri a).

Nullibi revera existit iste musculus, nisi in cerebro autoris, qui magnus qui-

dem in anatomicis et chirurgicis heros, a magnis erroribus non alienus erat, quorum non ultimus revera, hujus musculi inventio est. Dicit: „*Est series fibrarum carnearum, modo tenuior, modo crassior, ex cute genarum, quandoque ex osse jugali proveniens, et in orbicularis oram inferiorem, oblique introrsum se inserens, quibus palpebra inferior, si rite attendamus, manifesto deorsum trahitur, quando oculum aperimus.*"

Nolo manes summi viri lacessere! — sed verum ait *Seneca:* „Non est magnum ingenium, sine mixtura dementiae. —

a) *Laur. Heister.* lib. cit. §. 174.

§. 11.

Musculus sacci lacrymalis Duverney.

Perperam *Horneri* dictus, a celeberrimo Americae Septemtrionalis anatomo a). — Inventionis tamen gloria merito *Franc. Maur. Duverney* debetur, qui eum in Myotomologia, Paris 1749. 12. (Art de dissequer methodiquement les muscles), etiamsi obscure affert: „ab os-

se unguis ad sphincterem excurrentem." *Rosenmüller* quoque dudum ante *Hornerum* hunc musculum vidit b).

A sphinctere oriundum, transversim saccum lacrymalem scandentem, et in crista ossis lacrymalis insertum semper videmus.

a) Philadelphia-Journal, Novemb. 1824. p. 98. et *Férussac*, Bulletin des sciences med. 1825. Vol. IV. pag. 313.

b) Handbuch der Anatomie. Leipzig 1819. 8. pag. 298.

Musculi nasus.

§. 12.

Musculus Rhinaeus Douglasii a).

Difficilis esset, et nimis composita hujus musculi expositio, si *Douglasii* methodum sequeremur; — quare potius in tres distinctas partes separabimus, secundum recentiorum anatomicorum mentem, Pyramidalem utpote, Myrtiformem, et Levatorem alae nasi. — Musculus itaque Rhinaeus *Douglasii* ad antiquitates potius spectat, nomenque ejus obsoletum inter modernos.

a) Op. cit. pag. 41. §. 30.: „Musculus rhinaeus tribus principiis gaudet. Primum est elongatio *Occipito-frontalis*, cutem nasi sursum retroque ducens. — Secundum ad *Elevatorem labii superioris proprium* pertinet, quod a superiore ossis maxillaris parte oritur, ubi ossi frontis jungitur, ad internum angulum. — Tertium, quod pars *Depressoris labii superioris proprii*, et ad superius labrum pertinet. — Inseritur autem alae cartilaginibus omnibus." —

§. 13.

Pyramidalis narium a).

Hujus musculi nullam mentionem faciunt neotericorum plures b). *Volcherus Coiter* tamen, *Santorinus* et *Winslov* tanquam distinctum lacertum, bono jure tractarunt. *Sömering* non habet, et *Mayer* Berolinensis, tamquam partem Compressoris narium describit. — Accuratus musculorum incisor *Thomas Bartholinus* d), de illo, tamquam „de appendice frontalis musculi, supra dorsum nasi expansa," loquitur, et apte incidi curavit e). — Nunquam desunt isti musculi gemelli, a frontalis carnibus oriundi, supra dorsum nasi descenden-

tes, tendine lato, jugum nasi operiente, et cuti impexa terminantur. —

Musculi frontalis pars, ideo mihi non esse videtur, quia actio ejus sursum, frontalis vero deorsum dirigitur; — nervos quoque suos, non ex frontali nervo, sed ex ethmoidali sortitur, per ossium nasus foramina bina, accedente. —

In hominibus, quibus vanus tumet animus, aut qui nimis sui amore inflati, faciei taediosam superbiam, actione sua conciliat. *Lieutaud* f) de *musculo narium oblique descendente* disserens nostrum *pyramidalem* intelligit. —

Ab orbicularis palpebrarum tendine non raro auxiliarem lacertum, sed nimis tenuem, mutuare mihi visus est.

a) *Sandifort.* lib. cit. pag. 70. 71.
Albinus. lib. cit. pag. 150. 151.
Cowperus. Myotomia. Tab. XXV.

b) *Hildebrandt*, Handbuch der Anatomie des Menschen. II. Theil.

c) Musculum *Procerum* vocat.

d) Anat. reform. Lugd. 1684. 8. pag. 528. i.

e) Tab. XII. lit. i.

f) Lib. cit. p. 320.

§. 14.

Myrtiformis narium Casserii.

Synonyma. Constrictor alae nasi *Cowperi* a),—Compressor labii superioris *Douglasii* b), Pinnarum Dilatator quoque *Winslovii* c), — Depressor alae nasi *Albini* d).

Casserio Placentino e), insigni anatomico, hujus musculi inventionem debemus, ea tamen cum menda, quod originem ab ipsis pinnis narium derivet. In pneumonicis, phthisicis, orthopnoicis et asthmaticis, intensam hujus musculi actionem poteris mirari.

Ab osse malarum initium sumit, ea parte, qua penes jugum radicis dentis canini, foveola reperitur; — sursum introrsumque veniens tendine latiori cum pyramidali conjungitur, ita ut non absonum esset binos illos musculos, *Compressoris narium* nomine insignire.

Var. 1. Nonnunquam cum *Levatore labii et alae nasi*, fibrarum lacertulo cohaerere vidi. — In macilentis, debilibus-

que individuis rite praeparare, saepius frustra laboravi. —

Var. 2. Hinc inde cum *musculis incisivis Cowperi* cohaeret, et exordium a prominentia alveolari, incisivi secundi, derivat.

Narium pinnas agitare et deprimere omnino potest, ambigua vero ratione comprimere, vel arctare, cui functioni potius destinatus erit, si adest:

Musculus compressor Morgagni f),

cujus situs ex ipsius verbis poterit intelligi: „Occurrit autem nobis musculus, non ex curvis, sed ex rectis fibris constans, modo ex ossis quarti maxillae superioris, qua latus nasi constituit, crepidine *super interna membrana nasi*, ad modum institae; infra nasum superius versus labrum descendens; — alias vero ab eodem osse, extra illam crepidinem, aut ab ejusdem crepidine, qua basim extremam narium constituit, nec non a Sphinctere labrorum, oblique per eandem membranam narium ascendens, — ut non minus in his variam naturam

deprehenderimus, quam in plerisque aliis faciei musculis."

a) Loc. cit. pag. 57. Fig. 3.
b) Lib. cit. pag. 44.
c) *Lieutaud.* lib. cit. pag. 321.
d) Op. cit. Tab. IX. fig. 8.
Santorini Tab. posth. I. m.
— Pentaestheseion.
e) De fabr. nat. lib. 3. cap. 9.: „Duo alii praeterea adsunt musculi, nostro marte nunc primum inventi, exigui, tenues, figuram myrti foliis simillimam habentes."
f) Adversaria anat. Lugd. Bat. 1723. 4. Adv. II. pag. 29.
Santorino quoque non ignotus erat ille musculus, qui eum lateralem narium vocavit. lib. cit. cap. I. pag. 17.

§. 15.

Nasalis labii superioris a).

Synon. Depressor septi mobilis narium b).

Musculus a plurimis neglectus, non praetervidendus tamen, quia constantissimam *orbicularis oris* partem constituit. Ex fibris enim supernis ejus, utrimque non ad cartilaginem quadrangularem, sed ad alaris inflexam partem, quam *tuberculum* veteres vocarunt, inseritur.

Simplex et summe constans musculus, varietates nullas admittit.

a) *Albinus.* Tab. IX. fig. 10, 11, 12, 13.
b) *Santorinus.* l. c. Tab. I. ii.

§. 16.

Musculi narium, inconstantia sua celebres sunt sequentes:

α) *Musculus pinnarum dilatator seu abductor Santorini* a).

Differt a myrtiformi, quocum ab initio (si adest) cohaeret, diversa fibrarum directione. Prior enim sursum et introrsum, ille deorsum supra apicis nasi fornicem curvatur.

β) *Musculus orbiculi pinnarum* b).

In apice nasus, ad utrumque latus, musculus tenuissimus raro occurrit, sparsis fibris, tegumentis firmiter inhaerens, ita ut si utrimque agat, apicem nasi (orbiculum ait *Santorinus*) complanare possit c).

γ) *Musculus sphincter narium* d).

Adeo obscurus et incertus musculus est, ut cum *Santorinio* e), ad lapsus ana-

tomicorum, optimo jure rejiciatur. — Nullibi enim, nisi in cerebro delirantium anatomicorum, reperitur. — Incautis et superficialibus dissectoribus, musculi myrtiformis fasciculus, oras narium coronans, pro sphinctere facile poterit imponere.

δ) *Musculus procerus nasi*, de quo supra, §.6.

ε) *Musculus transversus nasi* f).

Paulo infra musculum procerum, in nasutis hominibus, dorso narium incumbit musculus transversus, sive unicus hic musculus et simplex, sive geminus.

Hic ergo tenuibus, disjectisque fibris, juxta terminum pyramidalis in superum labrum, exorditur, et contractior prope narium angulum, oblique sursum profertur, ac utrimque dorsum nasi scandens latior factus, eo loci adplicatur et adhaeret, nullo in lacertosis fibris tendinis, aut diremptus vestigio dato. —

a) Pag. 17. Tab. I. c. c.

b) *Santorini.* lib. cit. pag. 19. Tab. I. l. e. e. *Orbiculum* sive *globulum* veteres dixerunt apicem

nasi, uti pinnas πτερύγια, septum vero *columnam* (*Heister*. lib. cit. pag. 527.).

c) Musculi hujus, revera inter raritates anatomicas spectantis, actio adeo obscura est, secundum *Santorinum*, ut nonnisi in valido animi pathemate, ubi spiritus cum impetu et difficultate reciprocatur, oculis pateat. *Santorinus* talem per cutim transparentem, ita ut fibrarum ordo et crispatio manifesta fuisset, in petulca foemina aegrotante vidit, — si verbis fides nón deest! —

d) *Andreas Vesalius* (De corp. hum. fabrica libri VII.) talem musculum invenisse sibi videbatur.

e) Lib. cit. p. 21.: „Quantacumque nos fuimus in optimis cadaveribus diligentia versati, nullum talem musculum detegere potuimus.“

f) *Santorini* Obs. anat. I. §. XI. pag. 14.
— Tab. I. lit. a. a. a.

Musculi labiorum et oris.

§. 17.

Musculus Levator labii sup. et alae nasi a).

Synonyma. Incisivus lateralis (L'incisif lateral) *Winslovii* b). Retractor alae nasi et Elevator labii superioris *Cowperi*, — Elevator labii superioris proprius *Douglasii*, — Pyramidalis cum socio *Santorini* c).

A superficie externa processus nasalis mandibulae superioris ortus, deorsum

tendens, bifariam divisus, partim alae nasi, partim labio superiori impenditur.

Var. 1. Raro duplex est, uti *Albinus* d) vidit, saepius in duas partes diremptus, ita ut nares et labium peculiari musculo gaudeant.

Var. 2. Cum orbiculari palpebrarum hinc inde cohaeret e).

Var. 3. Arteriam angularem vel tegit, vel scanditur ab ipsa, quod pariter de vena faciali antica dictum sit.

Ob tenue principium, latioremque finem, hunc musculum *Triangularem narium* vocare *Bartholino* f) placuit.

a) *Albin.* Hist. musc. hom. pag. 151 — 153.
Eustachius. Tab. XXXII.
Sandifort. pag. 71. 72.
b) Traité de la tête. p. 562.
c) *Lieutaud.* lib. cit. tom. II. pag. 330.
d) *Mayer.* lib. cit. pag. 179.
George de la Faye. Observation anatomique, sur les muscles surnumeraires. Mem. de Paris 1736.
e) *Lieutaud.* lib. cit. Tom. 2. pag. 329.
f) Anatome reform. pag. 528. Tab. XII. lit. 1.

§. 18.

Levator labii superioris proprius a).

Synonym. Musculi canini media portio *Lieutaudii* b), Elevator labiorum *Cowperi* c). — Elevator labii sup. proprius *Dougl.* d), L' autre portion de l'incisif lateral *Winslovii* e), — Labii superioris proprius musculus primus *Bartholini* f).

A margine orbitali ad sphincterem oris abiens, modo latior, modo contractior, diversae crassitiei, simplex, duplex, quinimo triplex in utroque latere visus est g). — Non raro a zygomate accedit tenuis portio h), (forsan zygomaticus minor), hinc inde cum levatore supra descripto intime cohaeret, ut nullo modo possis separare.

a) *Eustach.* Tab. XXVIII.
Albin. Tab. I, XI. fig. 10.
b) l. c. p. 330. *Santorini* et *Winslovii* op. cit.
c) Ibid.
d) Lib. cit. pag. 43.
e) *Portal.* apud *Lieutaud.* pag. 331.
f) Lib. cit. pag. 528.
g) *Sömering.* op. cit. pag. 104.
h) *Morgagni.* Advers. anat. II. Animad. XII.: „sic ab osse jugali, fasciculum non contemnendum,

ad proprium labii sup. elevatorem dimissum bis vidimus.

Eustachius etiam habet Tab. XLI. fig. 1.

Ch. Bell in Annalibus scientiarum nat. 1826. Vol. VIII. pag. 245.

Pierre Malvet, et *Jean Senac.* Observation sur le mouvement des lèvres. Memoir. de Paris. 1735. 4.

§. 19.

Levator anguli oris Albini a).

Synon. Musculus caninus *Winslovii* b).

A fossa infraorbitali oriundus, sphincteri oris inseritur.

Non raro a dentis canini jugo portio considerabilis associatur, quae musculo nostro *Canini* nomen dedit. Haec portio *Winslovio Semiorbicularis* vocatur; — quin ratio mihi liqueat.

Duplicem saepe vidi, utpote perforatum arteriae alveolaris sup. majori ramo. —

Non raro ad labii levatorem socias fibras dimittit, — vel risorio musculo interfertur.

a) *Eustachius.* Tab. XXXII.
Albinus. Tab. I. II. IX. fig. 11, 12.
Sandifort. pag. 72. 73.

b) *Lieutaud.* lib. cit. pag. 330.

§. 20.

Zygomaticus major a).

In hujus musculi nomine, omnes consentiunt anatomici. —

Origo zygomatis inferior margo, terminus labiorum commissura. —

Varietates plurimas amat, quarum frequentiores sunto:

1. In exordio suo a musculo orbiculari, plures latiusculas fibras derivat, hinc inde a frontali ipso.
2. Ex parotidis substantia granulosa, semel tantum, tenues, sed tamen manifestissimas fibras oriri vidi, augmento ejus destinatas b).
3. Ad helicis initium, taeniam musculosam pertingere, viderunt plures.
4. In casibus, ubi ob defectum, vel nimiam angustiam arteriae maxillaris externae, transversalis faciei intumescit, ab eadem perforari zygomaticum conspexi.
5. Ad buccinatorem musculum, rarius, stamina muscularia mittit.
6. Finis ejus saepe duplex, ita ut ad su-

perius et inferius labium singuli fasciculi accedant c). Tres tales fasciculos *Morgagni* vidit. —

7. Zygomaticus minor, ab initio separatus musculus, in decursu, ad socium accedit hinc inde.

Ceterum zygomaticus minor, (si praesens) nullas, (quae adduci merentur) varietates habet.

a) *Albin.* Tab. XI. fig. 10, 11, 12, 13.

b) Pari ratione semel ex eadem glandula, ad supremum pharyngis constrictorem, lacertulum abire vidi.

c) Advers. anat. II. pag. 29.

§. 21.

Musculi incisivi Cowperi a).

Plurimis non placet ille musculus, nescio quam ob causam. — In cavo oris anteriori reperiuntur, superne et inferne duo. Uterque a prominentia alveolari incisivorum lateralium oritur, a socio per frenulum labiorum separatus, sub membrana mucosa labiorum ad sphincterem oris descendunt. — Superiores inferioribus majores, semper videntur b).

a) Myotomia reform. Curante *R. Mead.* Lond. 1724. fol. Tab. XXXI.

Walther. Myologisches Handbuch. pag. 137. seq.

b) *F. M. Duvernoy.* Myotomologie, ou l'art de disséquer etc. Paris. 1749. 12.

Jos. Bertin. Traité de myologie. Paris. 1774. 12.

J. Crawford. The human muscles, as they appear in dissection. Lond. 1785. 4.

Hyac. Gavard. Traité de myologie, suivant la méthode de *Desault.* Paris. 1802. 8.

Jos. Const. Carpue. A description of the muscles of the human body, etc. London. 1802. 8.

A. Fr. Walther. Anatome musculorum teneriorum corp. hum. repetita, etc. Lips. 1731. 4. Recus. in *Halleri* Coll. diss. anat. VI.

§. 22.

Musculus risorius Santorini a).

Santorinus inventor, suum musculum a *subcutaneo colli* noluit derivare, quod plurimi tamen hucusque statuerunt. Dicit enim: „*alius omnino* b) *est a quadrato (intellige subcutaneo), indeque non derivatur, quod huic ille subjicitur,*" et eum potius a cute „*circa maxillae angulum*" oriri vult. — Directionem fibrarum si consideras, aliam invenies a platysmate, et huic potius decussatim incumbentem. — Vidi etiam in robustis et vultuosis hominibus, tendineum filum a masseteris tendine adlec-

lum, ita ut duplex fuerit ejus exordium. — In fine tenuior est, firmior quoque, et teretiusculus; — sursum curvatur et „*triangulari musculo circa summum copulatur*“ c). Incerta ejus figura est, „*aliquandoque in duplicem, triplicemve fasciculum discernitur*“ d).

De actione ejus *Santorinus* habet: „*Is ubi contrahitur, os leviter ab eo diduci posse videtur, quod quum ridendo praesertim contingat, et nos huic motui eum opitulantem credamus, ne hunc quidem innominatum praetermittamus, R i s o r i u m nuncupabimus.*“

a) Op. cit. Tab. I. lit. n.

b) Subcutaneus colli, etiam latissimus colli, *Galeno* πλατυσμα μυοειδες (quasi expansio muscularis) audit.

c) *Santor.* pag. 33.

d) Ibid. pag. 32.

§. 23.

Depressor anguli oris a).

Synon. Depressor labiorum communis *Cowperi* b). Triangularis oris *Santorini* et *Winslovii* c); — Depressor anguli *Albini* d). Labiorum musculus commu-

nis deprimens *Bartholini* e). Pyramidalis *Santorini* f).

Musculus stupidi oris hominibus, Boeoticisque dilectus, ex parte laterali et infima maxillae inferioris, circa medium ortus, ad angulum oris levi curvatura ascendit. —

Ante insertionem suam, cum *Santorinii* musculo saepe copulatur, et tanta hinc inde latitudine gaudet, ut dexter et sinister in medio menti, coadunatis fibris contigui fiant. — Cum zygomatico majori junctum plures viderunt g).

a) *Albinus.* Tab. IX. fig. 10. 11. 12. 13.
Santorini. Tab. posth. I. M.
b) *Lieutaud.* lib. cit. pag. 332.
c) Ibid.
d) Vide supra a.
e) Lib. cit. pag. 528.
f) Loc. cit.
g) *Sömering.* Lib. cit. pag. 107.

§. 24.

Quadratus menti a).

Synon. Depressor labii infer. b). La houpe du menton c). Mentalis deprimens d).

Musculi hujus, apud varios auctores, adeo confusa historia est, ut attentius fabricam ejus rimari, non taedeat. —

A superficie inaequali symphysis menti, paullo infra gingivas oritur, tres quatuorve lineas latus. — Fibrae ejus superiores, labio inferiori destinantur, — internae cum oppositis connexae mento implantantur, — externae, sub *triangulari* latentes cum platysmate uniuntur, — infimae deorsum scandunt, mentumque subeunt e).

Veteres de musculis labiorum nihil prorsus noverunt, omnemque eorum motum, a panniculo carnoso *Galeni* fieri autumarunt f). —

a) *Eustach.* Tab. XLI.
Albin. Tab. I. II. IX.

b) *Santor. Dougl. Winslov.* vid. *Mayer.* lib. cit. pag. 197.
Winslovio nomen habet: *Le Quarré.*

c) *Lieutaud.* loc. cit.

d) *Barthol.* loc. cit.

e) Acad. reg. Annal. 1727. De motibus quibusdam peculiaribus.

f). *Andr. Laurentius.* Hist. anat. Francof. 1615. 8. pag. 342.

§. 25.

Ad varietates frequentius obvias spectant:

Productores labiorum a).

A mento sursum ad labii inferioris fornicem tendunt.

Elevatores labiorum b).

A mento intus, sub membrana mucosa, a dextris et sinistris confluentes, implantantur sphincteri. Si labium non depressum est, illud potius gingivis apprimunt.

Protrusores labiorum sive osculatorii c).

Nunquam vidi.

Transversales menti d).

Sub mento, intra anticos bigastrici ventres, transversim siti.

a) *Santor.* pag. 28. tab. I. lit. f.

b) *Cowper.* Myotom. reform. lit. q. X. *Santorin.* Tab. I. lit. q.

c) *Santor.* pag. 29. §. 31.

d) Ibid. §. 33.

§. 26.

Musculus sphincter labiorum.

Synon. Constrictor vel Orbicularis labiorum.

Ab *Albino* nomen habet, et duabus partibus constat, superiori et inferiori, quae ad angulos oris, sine tendine coeunt.

Plerumque musculorum labii effectus tantum, vel continuatio, raro sui juris musculus. — *Santorinus* de quatuor stratis deliravit, — aptius tamen est, bina tantum, (uti in cognato ani sphinctere) assumere, frequentius ne haec quidem invenire licet.

Saepe ab eo, in hominibus menti fissi, ab inferiori ejus ambitu, plures descendere vidi fasciculos tenuiores, foveolae menti insertos, quos

Azygum menti

vocare, non abs re esse, existimo.

§. 27.

Musculus Buccalis a).

Synon. Musculus buccae *Columbi* b).— Bucco *Riolani* c).

A processu alveolari maxillae sup. supra dentes molares, a hamulo pterygoideo, et a linea obliqua externa max. inf. originem habet, constrictoribus pharyngis (ope Buccopharyngei) cohaeret, et in duas partes divisus, in superiori et inferiori labio, sociis reliquis evanescit.

In hujus centro observavit *Casserius* d), robustum quoddam vinculum, exterius enatum et os genarum perreptans, ubi in musculum quemdam parvum et gracilem, buccae directe oppositum terminetur, quod tamen pro commento habet *Riolanus*, et ego.

Bidloo duplicem ex eo fecit musculum, quia fibras ejus tum circulares, tum longitudinales distinxit, ortu aeque et insertione differentes. Circulares enim a superiori, ad inferiorem gingivam, et vice versa duci; rectas vero, a quarto sup. max. osse, imo ulterius, ex ipso naso originem petere; quod negat *Cowperus* f).

Ratione usus, musculus masticationem, loquelam, respirationem, adjuvat, et glandulis muciparis, uti ipsi Ste-

noniano vasi stimulum mechanicum applicat g).

a) *Albinus.* Tab. II. III. IX.
b) *Reald. Columbus.* De re anat.
c) Lib. cit.
d) Isbr. v. *Diemerbroeck.* Op. omn. Ultrajecti. 1685. Fol. de musc. faciei.
e) Anat. corp. hum. Tab. 12.
f) Myotom. reform. cap. X. pag. 59.
g) *Tauvry.* Nouvelle anatomie raisonnée. Paris 1690. 12. pag. 8.

§. 28.

Musculus anomalus maxillae superioris a).

Inter nasi latera et orbitam situs, ad internum oculi canthum a superficie antica maxillae oritur, et paulo infra oblique descendentibus fibris, in eodem osse terminatur, ità ut neque origo, neque finis musculi mobilitatem habeant. — Paradoxus revera musculus! — Latet enim omnes, cuinam muneri natura destinaverit, quae nihil superflui noscit. — Anatome comparata similem musculum in pluribus animalibus rostro munitis invenit, ut anomalus maxillae, pro repetitione illius haberi possit b). Natura

valde amat, quod in uno animantium genere obscurius fecerit, in alio magis illustrare.

Rhomboideum *Santorinus* c) vocavit. — —

Est etiam alter minor, sed tamen conspicuus, supra Rhomboideum transversim locatus, cujus utrumque extremum (uti in superiori) tendineum est, venter autem carneus, longitudine pollicis, latitudine lineae, adeo perspicuus ut cum *Santorinii* verbis: „*praeclaram musculi formam referat.*"

Rhomboideum minorem vocare aptum erit.

a) *Santorini*, obs. anat. Tab. I. f.

b) *I. F. Meckel.* Handbuch der patholog. Anatomie. Leipzig. 1816. 8. II. Bd. I. Abthl. pag. 28.

Heymann. Diss. varietates praecipuas musculorum corp. hum. sistens. Traj. ad Viadrum. 1784.

Rosenmüller. De nonnullis musculorum corp. hum. varietatibus. Lips. 1804.

Gantzer (*Rudolphi*). Diss. anat. musculorum varietates sistens. Berol. 1813.

Kelch. Ursprüngliche Bildungsfehler der Muskeln. In den Beiträgen zur pathol. Anatomie. Berlin. 1813.

c) Lib. cit. §. XXV.

Haec de musculorum faciei varietatibus Lector! benigna suscipe manu, et ob tenuitatem nimiam, libellum meum spernere noli. —

Theses defendendae.

I.

Crescente medicorum numero, decrescit medicinae auctoritas.

II.

Latent adhuc primae inspirationis causae.

III.

Actionis muscularis modus nondum patet.

IV.

Omne vivum ex ovo.

V.

Vitae mortisque causa eadem.

VI.

Anatome musculorum magis, quam meretur, negligitur hodie.

VII.

Lien haematoseos organon.

VIII.

Conjugia matura longaevitati favent.

IX.

Animi mores a temperamento fiunt.

X.

Eunuchus corpore et mente minor.

XI.

Prolium sterilis, morborum fertilis mulier.

XII.

Est plethora, quae per venaesectiones crescit.

XIII.

In venaesectione apoplecticorum salus et mors.

XIV.

Syphilis nostris temporibus obvia, differt a primitiva.

XV.

Rachitis differt ab Osteomalacia, —

XVI.

Atrophia gerontica a marasmo.